

rum parte viros alat doctissimos, sed quicquid etiam apud exterios boni edatur, vel vertendo vel alio modo sibi vindicet, ut omne scibile ex universo orbe in Germaniam confluere vere dici possit. Continet Vincentii liber explicationem totius Nearchi itineris ex Hydaspe usque ad Indi ostia et inde per Oceanum et sinum persicum usque in Pasitigrim respectu ad historiam, geographiam et commercium; praefixa sunt Prolegomena de Alexandro et ejus consiliis, de Alexandria et aliis rebus geographicis, de temporibus, ventis, mensuris, atque de Geographis ipsis, lectu dignissima; adjectae sunt dissertationes doctissimae ad astronomiam et geographiam pertinentes. Ex his omnibus non pauca ad *Arriani Anabasim Alexandri* explicandam a me adhiberi potuissent, nisi jam, quae scripseram, Lipsiam missa et maximam partem excusa fuissent, quum Vincentii librum acciperem. Quapropter paucissima modo, dum ultimam manum ad corrigendos in typis errores admoverem, ex Vincentii Nearcho ad illum librum adnotare potui. — Ad explicandam navigationem Nearchi per mare usus est Vincent cum aliis subsidiis optimis, tum praecipue quod attinet littora inter Indum et sinum Persicum, inde ab Alexandri temporibus ad nostra usque non descripta et prorsus ferme ignota, itinerario recenti atque inedito. Erant enim anno 1774 ab Anglis naves quaedam missae ad ea littora exploranda. Quam

ob